

CONCIO VII.

DOCUMENTA EVANGELII.

I. A Christo: I. Infessus laborem benefaciendi. 2. Propensionem ad salvandos omnes. 3. Paternam sollicitudinem. — II. A Zebedæo. — III. A discipulis: 1. Coneste occupari. 2. Concordiam fraternam. 3. Promptitudinem sequendi Christum.

THEMA.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. IV.

Non unius generis reperire est piscatores hominum, sed alii fugiendi sunt, alii admittendi. Fugiendus est diabolus, primarius piscator, fugiendi ejus asseclæ et socii, hæretici, necromantici et seductores universi. Admittendus et amandus est ex altera parte Christus, primarius item piscator, admittendi ejus servi, quos ad piscandum misit. Prior ille piscator homo utitur, quia dum escam vilem et exiguam fluxi alicujus boni porrigit, interim unco lædit, et conscientiam capti lacerat, ac demum perdit et mactat. Christus ejusque prædicatores non hamum sed et rete adhibent, quo non sauciantur pisces, sed incolumes capiuntur, et demum in piscinam cœlestem inferuntur: *Ego veni ut vitam habeant*, inquit, *et abundantius habeant*: ergo qui in piscinam illam vult immitti, fugiat piscatorem primum, adeat secundum, cujus imperio et nomine ego quoque rete meum expandam, et pauca documenta tradam.

Triplex personæ reperiuntur in hoc evangelio: Christus, Zebedæus, discipuli, et singuli aliquid docent.

I. A Christo disce, Christi infessus laborandi et benefaciendi studium. Perpetuo ambulat, et circuit mare et aride lucratur animas.

Raro sedisse legitur, nisi forte cum doceret, vel fatigatus ex itinere esset. Et nunc ambulat circa mare, ut doceat nos vitam hanc, viam esse ad patriam, nec unquam nobis standum, semper vero ambulandum, et in virtute progrediendum. Avis quandiu volat, in tuto est, sed cum sedet, in periculo. Ita otiantibus potissimum nocere potest dæmon, non progredientibus in via Dei. Advertendum etiam hoc mare Tiberiadis seu Genezareth effici a fluvio Jordane, qui a duobus gignitur fontibus, Jor. et Dan. *Amnis amœnus et quantum locorum situs patitur, ambitiosus, accolisque se præbens, velut invitus Asphaltiten lacum, dærum natura, petit; a quo postremo ebibitur, quasque laudatias perdit pestilentibus mixtas*, ut scribit Plinius. I. V. c. XV. Fluvius iste typus est vitæ humanæ: nam primo, Jordan, fluvius vel descensio judicii exponitur, deinde, in planitie se

dilatans, efficit lacum seu mare Tiberiadis amœnissimum et multis civitatibus cinctum, demum, inde rursus effluens, *invitus*, ut ait Plinius, absorbetur a mari mortuo diro et pestilenti, ibique perdit optimas et dulcissimas suas aquas. Ita omnino vita humana fluvius seu descensio est ad judicium et mortem: *Omnes morimur*, ait illa Thecuitis, *et quasi aquæ delabimur in terram, quæ non revertuntur*, II. Reg. XIV. ac licet aliquamdiu se ambitiose dilatet, diligatur et colatur, tandem tamen absorbetur in vita a mari mortis, ubi perdit optimas suos deliciarum aquas et bibit amaras, juxta hunc ergo fluvium, et lacum ambulat Christus in hodierno evangelio, docens nos juxta eundem sæpe ambulare per contemplationem, ut intelligamus quo continuo labamur, *Tu dormis*, ait S. Ambrosius, in Psalm. I. *et tempus tuum ambulat, et vide ne, dum dormis, tempus prætereat: ideo et si dormis, cor tuum vigilet*. Cum ergo vita tua semper ambulet cum Jordane, vido ut tu quoque ambules juxta eum ne dormiens et imparatus abripiaris in mare mortuum.

Secunde, parem animi propensionem ad vocandum et salvandum omnes sine acceptione personarum. Ambulans enim circa mare vocat ad se, quos primo, offendit, piscatores, Petrum et Andream, deinde, progressus pusillum vocat, quos sequendo loco offendit, affines suos, Jacobum et Joannem, nulla prorsus facta propinquitatis mentione; ut intelligas eum non attendisse ad carnem et sanguinem mentione, alioquin hos primo vocasset, nec veluti casu offendisset, sed ultra quævisisset, et affines appellasset; neque solum mare sed etiam circumjacentes maritimas civitates, hoc eodem sine crebro perambulat neminem ergo despiciat Christus: sed perambulat mare hujus mundi, ut obvium quemque vocet ad salutem; non aliter hac sol omnes cupit illuminare quotquot ejus lumini aditum non præcludunt, Denique, etiam, ubi se novit frustra laboraturum, expandit rete suum ad capturam, modo per exempla bona, modo per inspirationes occultas, modo per libros pios, modo per beneficia, modo per tribulationes et elades publicas. Hinc per Isaiam, c. LXV. ait Dominus: *Dixi; Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum, expandi manus meas tota die ad populum, incredulum, etc.* et Prov. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus partorum urbis profert verba sui dicens: Usque quo parvuli diligunt infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam, etc.* Nullus ergo in mundo locus quem non perambulet Deus sua vocatione: imo ubi maxima De-

oblivio, in foro, in plateis, inter turbas et judicia, ibi maxime se insinuat et monet de imminente periculo.

Tertio, paternam sollicitudinem pro laborantibus fratribus. Vidit enim eos occupatos partim in mittendis retibus ad capturam, partim in reficiendis; vidit eos duro et tamen inutili officio distentos, ideoque salagebat, quomodo eos ab hoc gravi liberaret jugo, et subderet suo leviori et salubriori, quasi diceret: Quousque, o miseri, in hac vestra servitute diu noctuque desudatis nullo pene fructu. Quid enim ex hoc vestro labore et sudore amplius reportare potestis quam exiguum lucrum? Ego vero ostendam vobis meliorem piscaturam, minus laboriosam et magis fructuosam, venite post me, ut non jam pisces sed homines capiatis. Quibus verbis videtur ad se vocare quotquot mundo serviunt et gravi dæmonis premuntur jugo, qui diu noctuque innumeris laboribus, curis et cogitationibus implicantur, quasi dicat: Quorsum sic vos ipsos implicatis et occupatis in mundi hujus gurgite? Quorsum retia toties tenditis pro inutili captura dignitatis, honoris, lucri voluptatis exiguæ? Cur in hæc inania studia omnes vestras cogitationes impenditis, quasi ad altiora creati non essetis? *Quare appenditis argentum (laborem, industriam, studia, etc.) non in panibus et laborem vestrum non in saturitate?* id est, in ea, quæ vos saturare possunt, inquit Isaias, LV. *Quid nisi defatigatos artus et exiguum lucrum inde reportabitis? Venite igitur ad me omnes qui laboratis est onerati estis, et ego reficiam vos jugum enim meum suave est, et ans meum leve.* Matth. XI, sic pater videns filium absumere peculium suum in pueriles nugas, ait filio: *Da mihi nummos tuos; ego quid melius iis comparabo, et emit ei vesitem vel fundum.* Quod evenit his discipulis, eum tota nocte laborantes, nihil ceperunt; idem evenit mundi amatoribus, qui fluxa et inania sectantur ac piscantur bona; nam etiam cum deliciis fruuntur, defatigantur et lassantur, eoque labore nihil capiunt. Quod si tunc lassitudinem non sentiunt, sentient, aliquando cum illis qui dicunt: *Lassatus sum in vir iniquitatis*, Sap. V. Audiant igitur paternum Christi consilium mundi sectatores, ut abjecto mundi jugo, gravi et inutili, suscipiant, jugum Christi suave et salutare: ac jam non pisces, sed animas, jam non terrena, sed cœlestia captent bona studio bonorum operum.

II. A Zebedæo etiam disce aliquid. Quidam vero illud? Heroica magnanimitas. Non enim obstitit filiis, quominus Christum sequerentur, non conquestus est auferre sibi chara pignora, quæstum et nutritores suos, non cucurrit post abeuntes;

non crines laceravit, quod sane plurimi faciunt parentes, cum eorum filii ad religionem evocantur, nimirum cogitabat prudens iste pater, aut certe cogitare debuit, primo, si Deus ipse conditor ac Dominus misit in obsequium nostrum. Filium suum, ut nostri causa pauper fieret, magnum non esse, si ipse vicissim filios suos Dei obsequio donaret. Secundo, cogitabat nihil melius in hac vita posse filiis obtingere, quam si vestigiis Christi insistant, nullam meliorem hereditatem illis relinqui a se posse, quam si eos fieri sinat apostolos Christi. Si enim rex quispiam eos adoptasset in filios, vel creasset principes, quomodo parens obstilisset, licet nunquam eos visurus esset amplius? Tertio cogitabat, filios suos magis esse Dei, quam suos, adeoque Christum repetere id quod suum est. Quarto, si morte præmatura sibi eriperentur, ferendum fore: quanto magis, eum non perire, sed vivere ceperunt Christo? Quinto, cogitabat periculosum fore repugnare tanto viro, qui Messias putaretur. Sexto, forsitan recolebat animo Abrahamum, Annam Samuelis matrem, Macchabæorum matrem, qui et ipsi filios suos obtulerunt Domino. Atque hæc eadem si revolvant animo parentes, non admodum obsistent, sed potius optabunt, vocari liberos suos ad obsequium Christi et statum perfectionis.

III. A discipulis disce primo, labori et honestæ occupationi pro status tui convenientia vacare. Illi enim non in navi stertentes aut ludentes deprehensi sunt, sed mittentes rete in mare, vel id sarcientes. Quod opus etsi vile fuit, placuit tamen Christo, quia statum ipsorum decuit. Unde subjecit evangelista: *Erant enim piscatores.* Placent igitur divinis oculis, qui suæ vocationi intendunt. *Unicuique*, inquit apostolus, I. Corinth. VII. *sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet: et mox: Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Hinc voluit Joseph ut pater et fratres coram Pharaone libere confiterentur se pastores esse, licet nosset Ægyptis exosos esse pastores, quia noluit fratres suos ad status aulicos evehi, sed in arte pastoralis, quam a majoribus suis acceperant, permanere, et in hunc finem ab aula excludi, remitti vero in Gessen ubi pastoritiam exercerent, Genez. XLVI. Ergo pastores pastoralia, piscatores piscatoria, clerici clericalia, opifices sua quinque officia, et singuli denique quæ suo competunt statui tractare studeant: quæ supra se sunt, non ambient aut affectent, nisi Deo displicere et navim suam evertere velint. *In quo vocatus es opere*, ait S. Ephrem, ad hord. IV. tom. II. *firma anchoras ac funes, ne in pelagus tua navis impellatur*

Cæterum quia facile evenit, ut dum quisque statui suo intendit, et retia sua mittit in capturam rerum honestarum, interim retia illa rumpat, id est, conscientiam suam offendant: ex quo illud damnatum oritur, ut nihil meritorum de bonis operibus capiatur, idcirco subinde videndum unicuique, ut retia sua reficiat, si qua refectione indigent per examen conscientie et penitentiam.

Disce secundo, concordiam fraternam. Ecce enim quo fratrum paria in eodem lacu, per omnia sibi consentientium. Primi duo simul mittunt retia in capturam; posteriores duo simul reficiunt retia. Denique, a Christo vocati, omnes unanimi consensu sequuntur, nullus excusat, nullus tergiversatur, et vero ideo forte vocati sunt ad tantam dignitatem, quia tam unanimes. Ait enim Ecclesiasticus, cap. XXV. *In tribu placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus: Concordia fratrum, etc.* Primum hoc, quod præ cæteris Deo placet; ideoque libenter adest, ubi ejusmodi concordia est. Quod cuique maxime placet, id libentius aspiciat, tractat, quærit, etc. Ingrediuntur plures in celebrem civitatem, qui ædificiis afficitur, ædificia spectat; qui hortis, hortos; qui templis, templa, etc. Christo præ cæteris placet charitas fraterna: ideo dixit Matth. XVIII. *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi suum in medio eorum.* Ideo eandem in ultimo suo sermone post cenam habito, adeo commendavit discipulis suis, et postremo omnibus Christianis. *Non pro eis (discipulis) rogo tantum, inquit Joan. XVII. sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint.* In quæ verba S. Cyprianus, lib. de orat. Domin. ait: « Rogantis desiderium videte quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater et Filius, sic et nos in ipsa unitate maneamus, ut hinc quoque possit intelligi, quantum delinquat, qui unitatem scindit et pacem, etc. » Deus Pater semper audivit Filium suum et tu illum non audies.

Disce tertio, promptissimam voluntatem et obedientiam ad sequendum Christum, mundumque deserendum. Nam imprimis videbant Christum ambulantiem, juxta mare, pauperem, dessolatum: nec ulla ab eo miracula fieri adhuc viderant, et tamen ad unicam ejus vocationem sequuntur, continuo relinquunt patrem, navem, retia; sequuntur cum jam in opere piscatorio sunt et capturam sperant; non interrogant, quorsum eos applicaturus sit, vel quid sit fieri piscatorem hominum: non paciscuntur, nec inquirunt de mercede. Hæc sane miratur S. Gregorius, in homil. super hoc evangel. nostramque contumaciam taxat, cum ait: « Nulla hunc facere mira-

culta viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, et tamen ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus? Quod flagellis affligimur? Quantis minarum asperitatibus deterremur? Et tamen vocantem sequi contemnimus. In cælo jam sedet, qui de conversione nos admonet, jam jugo fidei colla gentium subdidit, jam mundi gloriam stravit, jam ruinis ejus crebrescentibus districti sui iudicii diem propinquantem denuntiat, et tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit invita. Quid ergo fratres charissimi, quid in ejus iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamus? » Hæc Greg. sed objiciet aliquis: Uterque iste piscator, quid aut quantum dimisit qui pene nihil habuit? Respondet mox idem s. pater: « Hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certe nos et habita cum amore possidemus, et ea, quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi reliquit. Multum dimisit qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. » Hæc ille. Respondeo deinde nihilo plus relinquere etiam qui plurimas passiones reliquit, si res attente consideretur. Relequerunt enim discipuli patrem vetulum, naviculam et ratia lacerata. Et quid est mundus, quid amici, nisi pater vetulus brevi moriturus, imo quotidie moriens? Quid cara ejusque voluptates, nisi parva cymba, quam expatiatur in hoc mari magno periculo, brevi delectatione: quam quo magis implemus et oneramus piscibus, id est, voluptatibus, tanto citius mergimus? Quid sunt curæ et occupationes hujus mundi, quid opes, honores et dignitates, splendor vestium et pompa, nisi retia, quibus implicamur et capimur ipsimet, fimusque præda dæmonis? Non sit ergo nobis difficile spernere hæc et relinquere, saltem quoad noxium et inordinatum istorum usum. « Quia fratres charissimi (concludo cum S. Gregorio, in homil. hujus festi) beati Andreæ apostoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Ostendat nostræ obsequium devotionis immutata solemnitas mentis, dispiciamus quæ terrena sunt, relictis temporalibus mercemur æterna. Si autem necdum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena. Si necdum mens nostra accen-

ditur igne charitatis, in ambitione sua habet frænum timoris: ut profectus sui passibus vegetata, dum ac alienorum appetitu compecitur, quandoque ad propria contemnenda perducatur adjuvante Domino nostro Jesu Christo.

CONCIO VIII.

MYSTERIA.

I. Cur Christus adjunxit discipulos? II. Cur elegit piscatores? III. Cur vocavit binos fratres? IV. Cur Zebedæus non est vocatus? — V. Quomodo tam cito attracti discipuli? — VI. Quomodo valedixerunt piscatoriæ? — VII. Quid est spiritualiter relinquere reti?

THEMA.

Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres. Matth. IV.

Evangelium, auditores, mare quoddam est inexhaustum et plenum cælestibus doctrinis, quasi gemmis et margaritis; profundissimum quoque et reconditis mysteriis refertum. Quare ad exemplum Christi ambulemus juxta hoc mare, quæramus ejus margaritas, scrutemur profunditatem. Vidit et invenit Christus juxta mare piscatores: nos videbimus arcana, quæ in mari evangelico latent.

I. Cur Christus adjunxit sibi discipulos? Resp. primo, ut haberet testes dictorum et factorum suorum, qui ea toti nuntiarent et testarentur orbi.

Secundo, ut haberent homines ansam bene merendi de se invicem, dum quidam alios instruant, uti apostoli: alii istos audiunt eisque parent. Decuit ut inter homines essent magistri alii discipuli, alii velut lapides et ligna, quæ se dedolaret perpoliri ab illis paterentur.

Tertio, ut Dei gloria magis amplificaretur, si aliqui pisces ab eo capti fierent piscatores aliorum hominum. Mirum hujusmodi spectaculum ac pene miraculum in piscium natura refert Ovetanus, hist. lib. XIII. cap. X. aliique Juxta enim Hispaniæ insulæ littora compertus est pisciculus non multo longior hominis ulna; hunc a parvulo domi in vase marinis aquis oppleto alunt, fitque adeo cicur, ut tractari et palparigaudeat. Porro audax animal est adeoque excelso animo, ut in eo vigere putes aliquod rationis vestigium. Fit egregius piscium in mari ad domini sui commodum venator, funiculis enim retis modo abvolvitur, ne in mare missus dispereat, deinde præongo alligatus fune, perinde ac canis per mare

hac illac vagatur, et obvium quemque etiam majorem se piscem testudinemve aggressus, latera primum morsu vulnerat, neque prius prædam mordicus tantam desserit, quam fune uterque in littus trahatur aut in navigium. Non minus admirabilem piscationem instituit Christus, quando paucos discipulos rudes domi suæ educavit, et ita tractabiles atque ad omnia idoneos fecit ut amore sibi devinctos dimitteret longo quasi fune in orbem universum, ad capiendos homines alios etiam doctiores, nobiliores et ditiores longe quam ipsi essent; qui et miro prorsus successu toto orbe plurimas gentes brevi tempore ceperunt, et Christo adduxerunt.

II. Quare piscatores nimirum elegit? Resp. ut ostenderet munus apostolicum simile esse piscaturæ. Christiani enim piscibus similes sunt, quia ex aquis baptismi spiritualiter nascuntur; quare eadem pene industria ad Christum inducendi sunt, qua solent capi pisces, per rete scilicet quod verbi Dei prædicationem denotat. Rete enim nec sericum esse, nec variis picturis aut coloribus ornari debet; sed planum fit, simplex, non magno atque elaborato artificio contextum, forte tamen et solidum. Ad hæc instructum sit una ex parte plumbo quo ad ima trahatur; ex altera vero subere, cujus adminiculo superne aquis innatet; alioquin vel totum mergeretur, vel totum supernataret, sique nihil omnino piscium comprehenderet. Pari modo evangelii prædicatione non figuratarum elocutionum picturis, non eloquentiæ splendore, non mundanæ sapientiæ auro indiget; sed potius debet concionatoris sermo sale esse conditus, ut lucet in eo christiana quædam simplicitas et cælestis sapientia, et gravis compositio cum quadam moderatione conjuncta. Deinde, habere debet plumbum divini iudicii et infernalium pœnarum, quo peccatores terreat, et leve suber misericordiæ divinæ ei cælestium promissionum, quibus eos ad spem erigat, nec solo nitatur timore, ne forte ad ima desperationis suo secum pondere pisces rapiat, nec sola misericordiæ recordatione blandiatur, ne forte nimium fidentes scelestorum animi in elationem efferantur.

III. Cur binos vocavit fratres? Resp. primo, ut intelligamus eos, qui Ecclesiam gubernant, vinculo charitatis et unionis inter se devinctos esse debere, ne in schismata dividantur magno ovicularum damno. Hoc enim tam serio orat apostolus, I. Cor. I. illis verbis: *Obsecro vos, fratres per momen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, etc.* Ita Num. XI. fecit Deus septuaginta viros cum Moyse rempubl. administraturos ejusdem spiri-

tus participes, *Auferam de spiritu tuo* ait Moysi, *tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Quare merito ab Ecclesia eliminantur et excommunicatione feriuntur hæretici et schismatici, pacis et charitatis turbatores.

Secundo, ut doceret velle se Christianos omnes ex fraterno amore conjunctos esse, idem sapere et in idem tendere. Hinc mox in imprimæva Ecclesia usus obtinuit, ut Christianis mutuo vocarent fratres et sorores; ita ut communis de Christianis gentiliū esset vox: *Vide ut se diligant, ut alter pro altero mori sint parati*, Tertull. in apol. XXXIX. Hinc Pacomidus adhuc gentilis et militans in exercitu Constantini Magni, videas Christianorum erga milites egnos charitatem et munificentiam, inde ad fidem conversus et monachus, imo monachorum pater et princeps factus est, ut in ejus vita. Quam vero grata sit Deo hæc unanimitas, ex hoc Dei oraculo discite. B. Macario celebri anachoretæ revelatum fuit, duas mulieres, quæ erant uxores duorum fratrum, ipso esse sanctiores, eo quod in eadem domo per annos quindecim ita concorditer vixissent, ut nunquam litem aliquam habuerint vel verbum asperius sibi invicem dixerint, uti refert Ruffinus, in vitis patrum, lib. III. n. XCVII. « Porro melior est inquit S. August. ser. de verb. apost. fraternitate sanguinis, Christi fraternitas, quoniam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam cum gratulatione communicat. »

IV. Cur Zebedæus non est vocatus? Resp. primo, quia ob senilem ætatem ad munus prædicationis parum utilis fuisset. Ad longinqua enim itinera, ad omnis generis labores et afflictiones sufferendas mittendi erant apostoli.

Secundo, quia senes minus tractabiles parumque ad disciplinas capiendas idonei sunt; suæ enim opinionis communiter tenaces, et pravis habitibus imbuti sunt, a quibus revocari difficulter possunt. Unde in his verificatur id Ambrosii: *Facilius reperi, qui servaverint innocentiam, quam qui veram egerint penitentiam*

V. Quomodo tam cito attracti discipuli? Resp. primo, interna illustratione et motione, dum vidit eos Christus. Si enim sol radis quasi aspectu terram disponit ad generationem, quanto magis aspectu suo Christus hominum corda ad sui sequelam disponere potuit: *Oculi enim Domini multo plus lucidiores super solem, etc.* Eccles. XXII. Respexit Petrus Christus post negationem ejus, et statim liquefecit cor ejus, ut in lacrymas solutus agnosceret et desleret peccatum suum: vidit eundem Petrum cum Andrea in hod. evangelio, uti expressit

evangelista; quid mirum, si hoc aspectu corda illorum moverit, ut ipsum sequerentur? Deinde, Petrus et Andreas jam ante Christo familiares erant, et ad colloquium ejus admissi, ut patet Joan. I. ex quo colloquio statim didicit Andreas Christum esse Messiam, quod mox indicavit Petro dicens: *Invenimus Messiam.* Idem fructus conversionis sperari posset ab hæreticis, si adirent catholicos si eorum sacra viderent, conciones audirent, mores et pietatem observarent, de rebus fidei cum iisdem conferrent: verum quia hanc lucem fugiunt, in tenebris relinquuntur. Neque enim decet ut miracula illa fiant dum humano modo ad fidei cognitionem venire possunt: habent Moysen et prophetas, id est, Ecclesiam et doctores ejus, audiant illos. Sed quia lucem veritatis fugiunt, ideo et ipsi fugiendi tanquam veri hæretici sunt. Hinc Sanctus Agathon abbas, ut refert Evagrius, lib. II. de vitis patrum, cætera humillimus, quævis opprobria libentissime perferere addens se mortalium omnium pessimum esse. Cum vero obtretractores ei dicerent: « Audivimus præterea te esse: » mox rupto silentio: « Absit inquit, a me, ut sim hæreticus, » causamque subdit: « Cætera peccata infirmitatis et fragilitatis sunt, hominemque Deo adhuc per fidem unitum relinquunt: hæresi vero pertinacia est notæque malitiæ, quæ hominem a Deo prorsus avollit, quia arboris radicem, fidem excindit. »

VI. Quomodo reliquerunt piscatoriam, siquidem et postea Joan XXI. eam exercuerunt? Resp. reliquisse retina et navim suam quoad proprietatem seu dominium, et quantum ac officium piscandi, non quantum ad usum aliquem necessitatis causa. Aliud est ergo dominium, aliud usus rei, hic conceditur religiosis, non illud. Quin etiam apostolus hoc ipsum suadet omnibus, ut scilicet rerum suarum se non dominos, sed usus fructuarios tantum existiment, I. Corinth. VII. *Qui emunt, inquit tanquam non possidentes (sint) et qui utuntur hoc mundo tanquam non utuntur.* Hoc ipsum ut Judæos doceret Deus, instituit annum jubilæi quinquagesimum, sanxitque ut illo anno omnes agri et prædia coempta ab emptore redirent sine pretio ad venditorem. Causam dat Levit. XXV. dicens: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ et colesæ estis.* Ut nimirum sciatis, inquit Philo, lib. de cherubin, solum Deum proprie rerum omnium esse dominum et possessorem: homines vero earum tantum habere usumfructum ad vitam, non vero dominium.

VIII. Quid est spiritualiter relinquere retia, navim Zebedæum? Resp. ex Chrysostomo, esse relinquere carnales actus, substantiam mundi et

parentes. Quid enim mundi negotia, amor, curæ, sollicitudines, nisi retia, quæ mille modis et nodis hominem implicant et capiunt? Quid mundit opes, honores, deliciae, nisi navicula fragilis et fluctuans, navigantem cito overtens? Quid parentum amor, nisi seniculus quidam Zebedæus, brevi moriturus?

Superest nunc ut nas, quas ex evangelio collegimus gemmulas in auribus et annulis nostris inseramus, hoc est et memoriæ commendemus et opere exerceamus, quod didicimus, etc.

AUCTARIUM

CONCIO I.

MUNDUS SIMILIS MARI TIBERIADIS.

I. Quia æstimat magna, quæ parva sunt. — II. Quia eandem rem aliis et aliis tribuit. — III. Quia varius inconstans. — IV. Quia in vita se dilatat, in morte angustiat.

THEMA.

Ambulans Jesu juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Matth. iv.

Anacharsim Scytham, virum sapientem, quidam percontabatur, quænam naves essent tutissimæ, Respondit ille: *Quæ in siccum protractæ sunt.* Non expectarat alter hoc responsum, sed an naves onerariæ, an actuariæ, an myoparones, et alie tutiores essent. Verum Anacharsis dicere voluit, omnes naves periculo expositas, omnem navigationem intutam esse, Laert. I. I. c. III. Si me percontetur aliquis, quinam homines totius mundi omnium securissimo loco sint, respondebo et ego: Qui e mundo extructi sunt. Dicit alius quispiam illos omnium tutissimos esse, qui in munitionibus, turribus, insulis, cavernis petrarum, vel in montibus habitant. Verum ego assero, neminem tutiorem esse illo, qui de mundo extractus est, cæteros vero omnes periculoso loco esse. Quæ enim causa est, cur Dominus noster primos suos et præcipuos discipulos extrahat e mari, nec quærat eos in eorum ædibus aut in plateis, nisi quia mare illud typus mundi erat, ubi perpetuo fluctuant homines, et innumeris periculis subjacent? Unde alibi eis dicit: *Ego elegi vos de mundo.* Quare qui tutiorem in mundo locum quærunt, exeant et mundo, si non effectum, saltem affectum. Quod ut fiat, videamus utrum mare Tiberiadis typum hujus mundi nobis exhibeat.

I. Mare hoc Tiberiadis, nomine quidem maris afferebatur a Judæis, revera tamen non mare, sed

stagnum tantum erat, uti et appellatur a Luca, c. V. seu lacus, ut a Josepho: quemadmodum et mare mortuum, quod item nonnisi lacus erat. Sed cur mare appellatus lacus Tiberiadis, qui nonnisi leucam unam in latitudine, tres vero in longitudine superaret? Nimirum Hebræi, quia vastiorem aquarum colluviem in terra sua non habebant, et plerique forsitan mare non viderant, lacus illos suos maria esse putabant. Sic omnino mundus decipit et decipitur: maria esse putat, quæ tantum stagna sunt; miratur res viles, et æstimat esse magnas, quia majores et maria verorum bonorum non vidit. Alcibiadem Atheniensium duces cum videret Socrates insolescere obfundorum vastitatem et prædiorum multitudinem, adduxit ad tabulam geographicam, et jussit quærere Atticam; deinde in ea fundos suos: qui cum ibi nusquam extarent, dixit ei: *Eo cur ergo te effers fundorum possessione, qui nulla pars sunt terræ?* Æliam. I. III. var. c. XXVIII.

Ad hæc, quemadmodum mare Tiberiadis videbatur in terra stantibus esse mare spatiosum, sed navigantibus apparebat parvum, quod celerime id trajicerent; sic vitæ hujus spatium, v. g. sexaginta et septuaginta annorum, juvenibus videtur esse longissimum; at senibus apparet esse brevissimum, quia vident se celerrimo cursu id pertransisse. Unde dicit Job, cap. IX. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt et non viderunt bonum, pertransuerunt sicut naves poma portantes, q. d. celerrime.* Aquæ maris salsæ sunt et crassæ, unde fortius sustinent naves, et minus mergi patiuntur, sed aquæ maris Tiberiadis dulces erant, unde et periculosiores navigantibus. Consimili modo mundus fingitur esse mare et habere aquas marinas, hoc est, delicias omni periculo carentes, quasi nemo facile in iis perire possit; cum tamen sint aquæ dulces et periculo plene, quæ plerosque mergunt ad interitum. Invitat mundus homines ad sui amorem, quomodo Jahel Sisaram duces in fuga sitibundum et desideran-